



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Tractatus De Necessitate Et Modo Ministrandi Sacramenta Tempore pestis

Chapeauville, Jean

Mogvntiæ, 1612

29. Quid sit de illorum, qui non habentes hostiam consecratam porrigunt non consecratam?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41077**

374 DE NECES. ET MOD. MINIST.  
cici pro ægro referuant, vt ex antedictis fa-  
cile colligi potest.

QVÆSTIO XXIX.

*Quid sit de illorum qui non habentes hostiam  
consecratam, porrigunt non con-  
secratam?*

Quæstionis explicatio.

**S**ECUNDUM communem Theologorum  
multipliciter potest manducari corpus  
Christi; subinde enim manducatur spiri-  
tualiter tantum vel sacramentaliter tan-  
tum, vel sacramentaliter & spiritualiter si-  
mul, quæ vt nota præsupponimus. Eue-  
nit casus, pastorem non habere hostiam  
consecratam, rogari nihilominus vt ipse  
sacramentale viaticum peste correpto de-  
ferat, ipse, vt vitet scandalum, existimat se  
posse deferre hostiam non consecratam, &  
ægrum, si non sumat sacramentale viati-  
cum, recepturum saltem per fidem & de-  
uotionem spirituale, & sic illi hostiam non  
consecratam ministrat; quæritur quid cen-  
sendum de hoc modo ministrandi?

*Responsio.*

*q. dist. 13.*

**E**ST reprobatus, neque vlllo modo to-  
lerandus. Ita omnes (a) Theologi in Ma-  
gistrum

gistrum sententiarum excepto vno Altisiodorensi, qui præsentem casum definiens dicit: *Si contingat hominem in articulo mortis, indigere viatico, & nullam esse reseruatam hostiam consecratam ex negligentia parochi, tunc ad euitandum scandalum licere dare hostiam non consecratam pro consecrata.* Probatum communis sententia, quia hoc modo ministrans secundum (b) Innocentium, non solum Deo illudit, sed etiam populo se astringit. Confirmatur, quia ex mente omnium hic modus agendi dat manifestam occasionem idololatriæ; nemo enim (vt ante ex D. (c) Augustino diximus) communicat, nisi prius adoraret, imo ipsa susceptio sacramenti est quidam religionis cultus. Nec refert quod sit materialis idololatria præter conscientiam & intentionem adorantis, quia etiam est per se malum, vt aliquis sciens & prudens proponat alteri adorandam creaturam cultu diuino, & mentiatur esse Deum, qui reuera non est, est enim mendacium perniciosum & Deo valde iniuriosum. Neque obstat, quod (d) quidam putarunt posse hunc modum ministrandi tolerari, si æger dissimulet & sciat sibi tradi hostiam non consecratam, eo quod tunc poterit peccatum idololatriæ vitare, quia etsi vitari possit respectu hominis qui comunicat, non potest

a lib. 2. *summa*, tract. 2. c. 5. q. 4.

b De celebr. missarū. c. 7.

c In Psal. 98. ad illa verb. Adorate scabellum pedum eius.

d Bonauent. in 4. dist. 9. Alb. Magn. dist. 13. ar. 20. Adr. quodl. 3. art. 3.

simpliciter vitari; nam ipsamet sumptio tali modo facta est actus religionis & cultus Dei respectu aliorum, qui etiamsi oculis non videant, adorant tamen id quod alteri datur ad communicandum. Ita D. Thomas (a), Alensis, Paludanus apud Magistrum.

a *sup. dist. 13.*  
b *lib. de irrequi. c. 20. n. 1.*

Dices: Annales de initiis regnorum (vt refert (b) Maiolus) narrant religiosos viros Hugoni à sancto Victore, doctissimo & sanctissimo viro in extremis desideranti Eucharistiam obtulisse hostiam non consecratam, quod propter languorem stomachi timerent periculum vomitus: ergo in articulo mortis, si timeatur tale periculum, vel desit hostia, & timeatur scandalum, licebit hostiam non consecratam offerre.

R. Religiosos illos fratres grauer peccasse, quod duplici miraculo Deus patefecit, vt citati annales testantur: Primo enim Deus reuelauit dicto Hugoni non esse hostiam consecratam, qui idcirco religiosos corripuit: Secundo, cum religiosi facti pœnitentes, alteram consecratam attulissent, ille à sumptione, propter vomitus periculum, abstinuit, nec non statim exspirauit: Eucharistia vero, quasi animæ sancti hominis ex hoc mundo migrantis

grantis adhæsit, nec vsquam amplius apparuit.

### QVÆSTIO XXX.

*Quid sit de illorum, qui sacramentum hoc proponunt agris ex mensa ad hoc composita sumendum?*

Quæstionis explicatio.

**Q**uidam Sacerdotes non audentes eucharistiam in os peste infectorum propriis manibus & digitis immittere, inveniunt diuersos modos dispensandi illam ægrotis, non manibus, sed externis quibusdam instrumentis adhibitis, puta, vel ex mensa, vel ex scutella, in qua Eucharistia est per pastorem decenter in corporali benedicto vel aliter collocata, vel ex forcipe, vel ex spatula, quibus vel infixæ est, vel retenta ipsa Eucharistia, & ori peste infectorum per pastorem admota: de quibus aliquid ex ordine dicendum est; & imprimis quid sit de modo ministrandi illorum, qui sacramentum hoc proponunt agris ore sumendum ex mensa ad hoc composita.

*Responsio.*

Non est licitus, quia est contra modernū  
Aa 5 Eccle-